e-codices

Oratio 2.

De Paupertate habita in triclinio nostro. 1660. XIII.

Commune, ac Vetustate pene contritum proverbium est
Auditores ornatissimi, omnes qui Pauperes sunt, eos et miseros,
et infelices esse, ac Vivere. Miserum enim esse omnes eum existi-
mant, qui novercantis fortunæ insolentiâ, atque immanitate
eò redactus, deiectus, deturbatusque est, Vt ipse sibi quod edat
quærere cogatur, quod ipsum tamen ægre admodum invenit:
longe miseriorem eum, qui quærit, et non invenit: Miserrimum
denique eum putant, qui cum cupit quod edat non habet. Atque ad-
eo quidem hæc opinio mortalium animis iam inhæsit, atque tan-
tas radices egit, Vt evelli nullatenus amplius possit, aut etiam
qui aliud ostendere, probareque conatur, Et hirpem dealbare
Vel ex arenâ funiculum nectere Velle Videatur, quod equidem
ego non moror, Vt Vt sit, falsum esse, et non sine magnâ in-
iuriâ Pauperibus affingi ostendere hodierna luce aggredior.
Quapropter adeste, adeste inquam, quos ea sors tangit, adeste
omnes qui Pauperes estis, atque sortem, fortunamque felicissi-
mam longe hic cognoscite; Ego Vos hac de iniuria Vindica-
bo Vt non miseri deinceps, sed Beati; non infelices, sed feli-
ces dici haberique debeatis, eâ enim felicitate frui Vos, quam
invidere omnes, eripere possit nemo, demonstrabo.

Atque Vt inde proficiscatur mea Oratio: Videor mi-
hi Videre, omnes omnino Pauperes in summo felicitatis fa-

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20115r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20115r)